



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

LXXXII. Differentia 8. Ad probandam consanguinitatem Iure Canonico
admittitur testimonium de credulitate, & auditu

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

Ad probandam consanguinitatem Iure Canonico admittitur testimonium de credulitate, & auditu. *c. Quoties de test. & attest. quod in iure civili non reperitur. Bartol. 39.*

Summa citati capituli *Quoties*. hæc est. Quando aliqui consanges prætextu consanguinitatis separationem petunt, consanguinitas per duos, vel tres testes ex illa consanguinitate probanda est: si consanguinei desint, per totidem meliores, & antiquiores loci, qui juramento præstito, veritatem, ut à majoribus suis acceperunt, dicant. Ad *v. credere* annotat *Glossa*, hodie non videri locum habere ex toto, quod hic dicitur, de credulitate nimirum, quia non valet testimonium de auditu, five de credulitate; imò necesse habent dicere, quod viderint personas omnes in consanguinitate, designando gradus ab utroque latere, vel saltem aliquas personas in gradibus: aliter non valet. *Infra c. Licet. & sic parum valet testimonium de auditu. Idem Barbosa* fatetur, videlicet non probare testes de credulitate, nec præsumptionem facere, quamvis dicant, se pro certo credere, nisi causam, & originem suæ credulitatis adducant. *Farinac. autem in Praxi crim. Q. 6. n. 63.* resolvit, consuetudine induci non posse, ut testibus de credulitate plena fides adhibeatur; de quo

etiam *Mascardus Conclus. 458. n. 10.*

11. Limitatur tamen non uno modo, puta, cum agitur de probanda innocentia, ætate, filiatione, & similibus *v. Barb. l. cit.*

Ex quibus omnibus deducitur, modico intervallo leges à canonibus distare. Quamvis enim in ipso iure expressum non sit, in præsentu casu testimonium de credulitate admittendum esse, ex æquitate tamen, cum res feret, acceptabitur, quandoquidem in defectu testium idoneorum minus idoneis locus permittitur. *v. Menoch de arb. Q. 73. n. 32. Navar. c. 22. n. 83. & in c. penult. n. 27. De Penit. Dist. 6. Caputag Decis. 208. Zerola Par. 1. v. Matrimonium. Dub. 10. Marant. Par. 6. De test. n. 17. & 18. Sanchez De Matrim. l. 1. Disp. 71. n. 1. & sequ. Less. c. 30. Dub. 4. n. 34. Laym. l. 3. Tr. 6. c. 4. n. 5.*

* *
* *